

condiuntur hominum. Totum hoc verbis illis expresserunt: *Ubi est qui natus est rex? Venimus adorare eum.* Dum dicunt natum, agnoscunt hominum: dum volunt adorare, agnoscunt Deum: regem denique expresse vocant. Unde S. Gregor, homil. X. ait: « Eum, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant, auro regem, thure Deum, myrrha mortalem. »

Secundo, S. Bern. in soliloq. ait, forte aurum ob Christi paupertatem; myrrhæ unguentum, ob infantilis corporis teneritudinem: thuris odorem, ob sordidam stabuli mansionem obtulisse. Utinam et nos similibus muneribus miseriam Christi nunc sublevaremus fetorem thure orationis; teneritudinem infantilem mortificatione carnis et membrorum nostrorum; paupertatem eleemosyna.

Denique, obtulerunt id quo ipsi in sua regione abundabant. Similiter. *Da Deo, quod habes, da quod es,* ait quidam pater: præbe illi cor tuum per veram pœnitentiam: da ea, quibus abundas scilicet peccata tua per pœnitentiam: denique, da saltem quod ei debes. Quid autem debes? Nonne saltem modestiam in exter-

na conversatione hoc potissimum tempore? Nonne dies iste Domini est? Nonne ad obsequium ejus impendendus? Ad quid ergo profana illa lætitia, commensationes, ludi et ludicræ aliæ ineptiæ? Itane vero honoramus Christum in cunis vagientem? An nescimus illud: *Musica in lectu importuna narratio,* et illud Bernardi: *Adhucne ludam et lacrymas Christi deludam?* Quid ait Ecclesiasticus, c. XXXIV. *Unus ædificans et unus destruens, quid prodest illis nisi labor?* *Unus orans et unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?* An non jure filii Belial vocabantur, qui ea, quibus abundant, peccata sua gravia hoc tempore per confessionem Christo non obtulerunt? Annon et illi, qui etiam, quod ei debent, subtrahunt? Multi ita abundant peccatis per annum perpetratis, ut dromedarios aliquot onerare possent, et tamen illi non sentiunt hoc onus, nec confitentur hoc tempore, differunt ad pascha. O filii Belial! Mystice Deo offerimus thus, myrrham, aurum: quando offerimus ei animam per orationem, corpus per jejunium seu afflictiones corporales et mortificationem, bona externa per eleemosynam.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANTA VENERATIONE ET GAUDIO EXCIPIENDA
SIT HODIERNUS DIES.

Magna hodierni diei solemnitas. — I. Quia hodie e tenebris in lucem educti sumus. — II. Quia hodie excisa vitiorum silva. — III. Quia etiam Dei nostri potentiam et benignitatem hodie agnovimus. — IV. Quia hodie filii dexteræ facti sumus, qui eramus filii sinistræ. — V. Quia hodie exaltati sumus ad Dei aulam.

THEMA.

Videntes autem stellam, gavisus sunt gaudio magno valde. Matth. II.

Tam sancta et festiva est hodierna dies nobis Christianis, qui ex gentilitatis tenebris ad lucem Christi educti sumus, ut etiam reges et imperatores, licet alioquin improbi in veneratione habuerint, uti Julianus apostata et Valens imp. E quibus Valens, visa majestate officii divini et S. Basilii celebrantis in hodierno festo, rei novitate attonitus, et in vertiginem actus, vacillare cœpit jamjam in terram prolapsurus, nisi sus-

tentatus fuisset, ut S. Greg. Naz. in orat. de laud. Basilii refert. Certe Ecclesia catholica hodie officium suum mutat contra ordinarium totius anni cursum, et decursis prius duobus nocturnis, tum demum se ad pedes Christi, et septies quidem, prosternit dicens: *Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster.* Forsitan ut indicet longum illud iter trium regum susceptum et peractum, priusquam ad Christum adorandum pervenirent. Septies adorant, ut indicet regem nostrum Christum satis adorari non posse, et per omnem æternitatem nobis adorandum. Sed quæ causa, dicet aliquis, tantæ solemnitatis? Audiamus.

I. Quia hodie e densissimis idololatriæ tenebris eruti, in lucem evangelii et cognitionis veri Dei deducti sumus, simulque e tenebris gehennæ exterioribus, quæ tenebras illas interiores consequuntur, erepti. Legimus, Exod. X. *Ægyptios, inter alias plagas, tenebris tam densis, ut palpari possent, fuisse punitos; unde nemo se movere audebat.* Significabant illæ tenebræ cæcitatem tum aliorum gentilium, tum maxime *Ægyptiorum,* qui præ cæteris gentilibus innumera et

stultissima idola colebant. Erat illa tam densa, ut plane palpari posset. Quid enim stultius, quam adorare ligna et lapides, vitulos, canes, simias, crocodilos, serpentes, allia, cæpe et similia? Item homines spurcos homicidas, fures, mæchos referre et colere inter numina? Et tamen miseri illi, quia veri Dei cognitionem perdiderant, in has tenebras devoluti erant. Quidquid enim ipsi magnum aliquod beneficium præstiterat, id pro Deo habere cœperunt; veluti in primis aliquos potentes, qui armis gentes aliquas domuerant; robustos viribus præ cæteris aut versutia insignes; rursus eos, qui artes aliquas utiles etiam mechanicas et rurales, uti vineæ agrique culturam excogitarunt. Ad hæc *Ægyptii* bestias, a quibus magna commoda accipere solebant, uti bovem rura colentem, aquam Nili agros *Ægyptios* irrigantem, etc. Etsi fuere aliqui sapientiores, qui solo naturæ lumine, tenebras has palparunt, et stultitiam tot ac talium deorum improbarunt ac riserunt; uti Socrates, Plato, Cicero, Seneca, Aristoteles: ab iis tamen se expedire non valuerunt. Sicut enim *Ægyptiis* tenebris nemo se loco movit, ob formidinem, Exod. X. (Unde Sap. XVII. et XVIII. dicuntur quasi catenis alligati fuisse, et miserabiles edidisse voces, ad Hebræos), sic gentiles quasi vincti in cæcitate sua fuerunt: uti satis fatentur Macedones, (quorum nomine unum apparuit Paulo in somnis deprecans: *Transiens in Macedoniam adjuva nos,* Act. XVI.) miserabili voce Pauli opem invocantes, quasi dicant: O Paule, nos vincti in his tenebris venire ad te non possumus; precamur igitur ut transeas ad nos et juves nos.

Jam modus quo colebant deos suos erat miserabilis simul et stultissimus, non modo per victimas pecorum, quod Romanis et aliis cultioribus usitatum, sed plerumque per cruorem humanum, et charissimorum pignorum, lectissimorum adolescentum et adolescentularum, advenarum, civium, hostium. Parentes ipsi immolabant filios, uti Saturno Phœnices, Carthaginienses, Rhodii, Cretenses (unde signum de Saturno liberos vorantes); alii idolo Moloch per combustionem, uti Ammonitæ; alii, ubi hostia deficiebat, seipsos mactabant. Addebant libidines intolerabiles, promiscuas, ac præposteratas. Germani ethnici cruore humano Mercurio immolare, religiosissimum putabant, teste Alex. Taceo ignorantiam rerum omnium divinarum et humanarum de altera vita, de immortalitate, de præceptis divinis, de virtutibus.

Hæc de causa utique Christus media nocte natus est, ut ostenderet se venisse ad ignorantiam tenebras sua luce discutendas, quod et typice

mox exhibuit pastoribus, cum Dei claritas mediis in tenebris eos circumfulsit, et cum stella magos duxit ad præsepe, natam orbi lucem nuntians. Id quod recens a se conversis sæpe inculcat S. Paulus, uti Ephesiis, cap. V. *Eratis aliquando tenebræ,* (hoc est, tam tenebrosi, atque ipsæ tenebræ sunt) *nunc autem lux in Domino.* Agnovit hoc inter alios Widekindus dux Saxonie, bello victus a Carolo M. qui ubi ad fidem conversus fuit, equum nigrum, quem habuit in insignibus, mutavit in album, ut testaretur se a tenebris tractum esse ad lucem (ut habet chronicon Saxon.); imo et e filio tenebrarum infernalium factum filium lucis æternæ. Nos ergo quia invenimus verum Deum per internuntios tres reges, ideo Ecclesia hodie venerabunda cum iis procidens canit: *Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster.*

II. Quia hodie cœpit excindi vastissima ferarum et latronum silva, omnis generis vitii et sceleribus, quasi immanibus bestiis, repleta sub gentilismo, ubi homines ferarum instar vivebant sine lege et sine Deo: ubi fortior debiliore, major devorabat minorem. Unde nulla pene juris habita ratione, prædas agebant et latrocinia nefanda; cum matribus, filiabus, sororibus jungebant matrimonia; senes canibus devorandos dabant, aut jugulatos ipsi devorabant; furta impune ferebant, uti inter alios Germani nostri etiam conjuges suas et filias (uti Madianitæ. Exod. XXV.) hospitibus prostitutebant: in defunctorum maritorum rogos se uxores quoque conjiciebant, vel mancipia cum illis comburebant; feminas passim et pueros turpi quæstui exponebant; captivos vanales proponebant, ac canum instar habebant; humanis aliqui carnibus vesciebantur; spectacula gladiatorum, nudorum quoque puerorum ac puellarum edebant; Germani inter alios diem noctemque potando, vitam bella inferendo, ducebant. Taceo augurum et Pythonum (cujusmodi puella refertur Act. XVI.) delusiones, dæmonum infinita ludibria, ut vere mundus nil aliud nisi vastissimum ferarum stabulum, aut solitudo sterilissima videretur, de qua proinde dixit Isaias, c. XLI. *Ponam desertum in stagina aquarum, et terram inviam in rivis aquarum. Dabo in solitudinem cedrum et spinam,* (Hebr. setim, arborem et odoriferam, quæ nitore et robore omnes arbores superat) *et myrtum et lignum olivæ, etc.* Id quod impletum in lege nova ait S. Gregorius, homilia XX. in evang. quando loco improborum illorum hominum, qui sub gentilismo fuerunt, plantavit Deus in Ecclesia viros sanctos, omni virtutum genere conspicuos; martyres, episcopos, abbates, monachos, eremitas,

reges, etc. quibus refertissima est Ecclesia, ita ut jam hortus exultissimus et paradusus appareat orbis christianus respectu prioris solitudinis. Homines enim prius indomiti cædem tantum ac minas spirantes, facti sunt quasi oves; qui omne respuerunt jugum, velut feræ immanes, jugum subierunt: quætes inter infinitos pene S. Christophorus martyr, qui in Lycia adductus ad Decium imp. vinctus et rogatus qui vocaretur: « Prius quidem Adocimus, hoc est, improbus, ait: post vero, christiana religione initiatus, Christophorus, hoc est, Christum ferens; » itaque æquum esse, ut quod nomine ferret, reipsa declararet, ut in ejus actis 25. julii, Lipel. Nimirum, ante susceptam Christi fidem, omnes fere gentiles erant *Adocimi*, postea facti sunt Christophori. Atque hoc ipsum est, quod ostensum S. Petro fuit, Act. X. cum linteum de cælo in visione ei propositum fuit, plenum quadrupedibus, serpentibus et volatilibus, pene omnibus immundis: quæ jussus est occidere Petrus et comedere, dictumque illi: *Quod Dominus purificavit, tu commune ne dixeris*, sicque receptum est linteum in cælum. Significabat enim gentiles, qui tum adhuc immundi et abominabiles erant, a vitæ spurcitiâ per evangelium purificandos, et denique in cælestem gloriam suscipiendos.

Fuit ante Christum mundus velut sterilis et frigida quædam hiems, quæ nullos Deo fructus tulit; sed per Christum mutata est in amœnum ver et fructiferam ætatem. Unde canit Sponsus, Cant. II. *Jam hiems transit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra*. Primi flores verni ex majusculis sunt, qui corona regis appellantur, et primi Christiani ex gentibus sunt hi nostri reges, prænantii lætissimi veris et æstatis, quæ est tempus gratiæ et legis novæ.

III. Quia hodie, non solum Deum nostrum nosse cœpimus, sed præterea ejus majestatem, potentiam et benignitatem, qui vere nos salvare, hoc est, ex omnibus malis eripere, et omnibus bonis cumulare queat. Petierunt aliquando Israelitæ magna instantia dari sibi regem qui judicaret ipsos et bellaret pro eis contra hostes, I. Reg. VIII. et datus est illis Saul: *Altior cæteris ab humero et sursum*. Verum mox aderant qui dicerent: *Num salvare nos poterit iste?* I. Reg. X. malevole quidem, sed non omnino male. Quis enim alius rex salvare homines poterit, nisi Rex cæli et terræ? Talem autem se esse demonstravit noster Rex, quia stellæ et angeli ei famulantur; cui alteri hoc factum? Dicitur rex natus, seu naturalis et necessarius, irrefragabilis et invictus: quis alius talis fuit? Ante ipsum prociidunt alii reges, et adorant eum, velut Regem

omnium regum: cui alteri hoc factum? Terret Herodem et compescit ejus furorem jacens adhuc in cunis: quanta ejus potentia! Dirigit iter magorum, et defendit ab ira et astutia Herodis: quam bonus et benignus! Perdixit eos ad sanctitatem et cælestem gloriam (unde nunc etiam velut sancti in maxima veneratione sunt): quam liberalis! Denique, rex æternus est, *cujus, regni non erit finis*: ubi alius talis? Qui ex imperatoribus diutissime regnarunt, fuerunt in primis Carolus V. qui rexit quadraginta annis, et regni ejus erat finis: Constantinus VI. in oriente, qui quadraginta et uno, et regni ejus erat finis: Theodosius junior, qui quadraginta duobus annis, et regni ejus erat finis: Basilius III. qui in oriente quinquaginta annis; Fridericus III. pater Maximiliani, quinquaginta tribus annis; et qui omnium diutissime, Augustus, sub quo Christus natus, annis quinquaginta sex; et regni eorum erat finis. Hinc pulchre Matthæus tempus regni Herodiani, quod erat tunc 30. annorum, universim 37. appellat dies tantum: *In diebus regis Herodis, etc. et sic regni ejus erat finis*. At regis nostri Christi regnum solum est, *cujus non erit finis*. Unde: *Et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum*, ait apostolus ad Hebr. VII. Reges hujus mundi salvare corpora tantum, neque semper possunt, animas nullo modo: terræ portioni imperat, non toti; multo minus cælo et angelis. Reges sunt electi, aut a subditis saltem acceptati; non nati et irrefragabiles: non imperant aliis regibus, nisi bello forte subactis; et hi tamen quam difficulter se victoribus subjiciant, apparuit in Ottocaro Bohemiæ rege, victo a Rudolpho imperatore; neque terrent alios reges nisi probe armati, nec possunt nos defendere ab omni prorsus injuria. Atqui rex noster omnibus his pollet, quibus carent reges alii. Videat jam Christianus quisque, quantum sibi gratulari de hoc rege debeat. Videat, an expediat mundanis et mox transituris regibus servire potius, quam æterno illi.

IV. Quia hodie mirabilis quædam mutatio fieri cœpit in Judæorum reprobatione et gentium vocatione; dum principes et populi Hebræi Messiasuum negligunt, et quidem vicinum: gentes vero requirunt, et quidem remotum. Hodie ergo impleti cœpta Isaaci benedictio in Jacob, et reprobatio in Esau: hodie dextra manus Jacob decussatim posita est super Ephraim, id est, frugiferum gentium populum, sinistra super Manassen, id est, obliuivum populum Judæorum: hodie ab oriente venerunt, qui cum Abraham, Isaac et Jacob recumbent in regno cælorum; filii autem regni ejecti sunt in tenebras exteriores; sicque Publicani et meretrices, id est, gentiles, peccatores publici,

cum idolis fornicati, præcedere cœperunt Judæos in regno Dei: hodie pauperes et cæci et claudi et debiles a sepibus et viis publicis collecti, introducti sunt ad cœnam magnam; qui autem prius invitati venire recusarunt, exclusi sunt et audierunt: *Nemo vivorum illorum gustabit cœnam meam*. Jacent jam Judæi dispersi, sicut vas figuli confractum et irreparabile, uti eis prædictum, Jer. XIX. § XI. Florent contra et triumphant Christiani. Quam Dei miram sapientiam admiratur Paulus exclamans: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, etc!* Propter hoc etiam? *Obstupuerunt et ex circumcissione fideles, quod et in nationes gratia Spiritus sancti effusa esset*, Actor X. Gentes enim nulla prorsus merita, nullos viros sanctos, nullum cum Deo pactum habuerunt, sicut Judæi; imo impii et diaboli mancipia erant; et tamen hodie Judæis prælati sunt, et quem illi repulerunt, ipsi quæsierunt.

V. Quia hodie exaltari simul ad supremi regis aulam, et sub ejus alis securi conquiescere cœpimus. Hodie contra naturam ex oleastro in bonam olivam inserti sumus, factique palmites illius vitis, quæ humorem nobis gratiæ et meritum suorum continuo suppeditat, ut fructus bonorum operum cælestes proferre valeamus: hodie velut oves errantes ad caulam pastoris nostri reducti, e luporum faucibus erepti, et ex filiis doloris filii dexteræ Dei constituti sumus, ponendi aliquando ad dexteram ejus, quæ est æterna felicitas: hodie electi sumus in lapides sanctuarii et templi cælestis; hic quidem poliendi, ibi vero per ordinem sternendi in regno Dei. Quare si Protarchus philosophus, apud Aristot. I. II. phys. fortunatos censuit illos lapides, ex quibus altaria sunt, quæ ab hominibus honorantur; multo magis fortunati erimus Christiani, qui superædificati sumus super lapide fundamentali Christo in Dei templum et sanctuarium: hodie in vineam Domini conducti et consequenter missi sumus, ut, post diurnum laborem, denarium æternæ felicitatis accipiamus: hodie: *Cives sanctorum et domestici Dei* facti sumus, habentes ejus municipatus nostri in cælo, adeoque omnes plus quam nobiles, imo plus quam reges creati: jam si tanti erat olim civem Romanum esse, ut tribunus ille, Act. XXII. multa pecunia emeret jus illud, infinitus plus est, esse civem sanctorum: hodie: *Qui eramus longe, facti sumus prope*, Eph. II. qui longe a regno cælorum, positi jam prope et vicini: hodie in arcam Noe ingredi cœpimus, ut ibi securissimo in præsidio servaremur a diluvio: quidquid extra arcam Ecclesiæ est, certissimo peribit, gentiles, Judæi, Turcæ, hæretici: hodie spes

salutis omnibus peccatoribus et portus naufragantibus apertus est, dum homines peccatores et gentium erroribus imbuti ad salutem directi et recepti sunt.

Verum quidem est, non esse nos extra omne periculum prorsus (si nimirum culpa nostra perire velimus) quia possunt palmites fieri steriles, ut excindi mereantur: possunt oves septa transilire, et in luporum fauces incurrere: possunt lapides sua durtia resistere malleo lapidæ, ut reprobari mereantur: possunt operarii in vinea otio se dedere, alios vexare et damna dare, ut mereede careant: possunt cives sanctorum ita male vivere, ut excludi mereantur: possunt qui in arca Noe sunt, in aquas desilire et mergi: possunt cum corvo sectari corpora mortua, et in iis inhærerere, ne redeant ad arcam. Sed hæc illorum culpa est, non vitis, non pastoris, non structoris, non domini vineæ, non regis, non Noe. Quare, auditores, attendendum nobis ne, de tenebris erepti ad tenebras redeamus, quod avertat Deus.

CONCIO II.

POMPA LEGATIONIS TRIUM REGUM

I. Veniunt cum stella magnæ fidei. — II. Cum manu forti, et spiritu fortitudinis. — III. Cum magna industria et celeritate, seu cum dromedariis. — IV. Cum camelis, seu humilitate. — V. Cum muneribus.

THEMA.

Magi ab oriente venerunt Jerosolymam. Matth. II.

Diem hodiernum appellamus nos Germani *diem ducum*, nec male; quia tres illi magi seu reges, fuerunt primi duces omnium gentium, suo exemplo præeuntes ad præsepe Domini et cognitionem veri Dei. Quemadmodum vero duces non sine pompa et apparatu veniunt; ita neque isti absque splendore ad Christum venerunt. Sane is talis fuit, ut eum Isaias octingentis annis antea præviderit, et pompaticè descripsit, cap. LX. his verbis: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui; et mox: Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Ephra. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes*. Superest ut hanc pompam nunc explicemus.

I. Ingrediuntur cincti lumine, sicut Isaias prædixit, c. LX. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, præ-*

via scilicet stella, quæ est magna in Christum fides, quam hauserunt a stella, et qua eandem secuti sunt duces. Mira, inquam, et magna fides! Non audierunt angelum, sicut audierant pastores: stellam solam viderunt, indicem nati regis, moxque fidem adhibent et regem inquirunt duce stella, ubicumque tandem locorum is esset. Ac postquam eum reppererunt, non absterriti ejus paupertate vilique tugurio, crediderunt non modo regem, sed etiam deum, atque ut talem adorarent. Quam ergo confundunt nostram in credendo tarditatem! Nondum illi audierunt Christum prædicantem, vel miracula facientem; non viderunt resuscitatum, ad cælos ascendentem, totum mundum convertentem et idololatriam evertentem, Ecclesiam tot sæculis inter tot hostes conservantem, per vicarium suum gubernantem; et tamen in eum, velut Deum, firmissime crediderunt. Nos scimus a Christo jam eversam idololatriam, quæ tantopere se opposuit per annos plusquam 300. scimus a paucis apostolis orbem conversum, doctrinam et intellecti et voluntati difficilem orbi persuasam, scimus eandem tam constanter a fidelibus creditam, ut vitam per omnia tormenta perdere mallent, quam fidem; scimus incredibilem morum mutationem factam, mundum monasteriis ac templis repletum, fidem tot miraculis confirmatam. Unde S. August. l. XXII. de civitate, c. VIII. ait: « Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirat, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit. » Viderint ergo qui post tot argumenta, non dico, non credunt, sed tepide etiam credunt. Quid enim ait Ecclesiasticus, c. II? *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non proteguntur ab eo*: in Græco habetur: *Væ cordi remisso*. Tales enim non proteguntur a Deo, quia in eum fidem non habent: sed sinit eos suis natare brachiis. Hinc advertit S. Aug. ser. LXXXII. de temp. Josephum etsi justum, idcirco absque omni dubitatione biennio in carcere detentum, ipsumque pincernam Dei dispositione ejus oblitum fuisse, quia cœperat non in solo Deo, sed in homine pincerna confidere. Sic deseruntur a Deo, qui vel suæ rationi, vel humanis viribus plus fidunt, quam Deo. Idem in nova lege pluribus ostendi potest. Petrus, quando cœpit diffidere et dubitare, subsidit in undis: unde audit: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Filia Jairi, manus Christi impositione suscitatur, hemorrhissa tactu sanatur, quia hoc petierunt: at major fides centurionis, cujus servus verbo sanatur, quia dixerat: *Tantum dic verbo*: unde ei bene Christus respondit: *Vade, et sicu credidisti, fiat tibi*. Nota particulam *sicut*, quia fides est mensura gratiarum; quantum credis,

tantum accipis. Nec solum non proteguntur tepidi in fide; sed tandem evomuntur etiam, ut habetur, Apoc. III. *Quia tepidus es, incipiam te evomere*. Tales enim non agnoscunt suam frigiditatem, uti mox subjicitur: *Quia tepidus es, incipiam te evomere*. Tales enim non agnoscunt suam frigiditatem, uti mox subjicitur: *Quia dicis, quod dives sum, et locupletatus et nullius egeo, nescis quia tu miser, etc.* Sic evomuit tepidos Afros et Græcos in manum Turcarum: sic multos Germaniæ populos in manum hæreticorum.

Ad hæc ad unius stellæ apparitionem isti permoventur, et accingunt se ad tam longum et difficile iter. Nec a proposito suo itinere absterrentur, quod Herodes turbetur, quod stella se ad tempus abscondat; nec a fide Christi, quod videant eum pauperem in stabulo, desertum, etc. nec desinant prosequi iter suum, licet nesciant terminum, quando et ubi statuta sit stella; sed magna cum confidentia simul et patientia pergunt cœpto itinere, donec inveniant natum regem. Nonne ergo confundunt nos, qui tot argumentis, stimulis, promissis adigi vix possumus, ut vel leviam Deo obsequia præstemus?

II. Cum manu forti. Sic enim prædixit Isaias, c. citato: *Fortitudo gentium veniet tibi*, id est, regum majestas et apparatus cum multo comitatu seu potius magna animi fortitudine. Apparuit hæc fortitudo, dum ad Herodem Jerosolymam ingressi, nequaquam timuerunt interrogare, ubi esset rex Judæorum nuper natus; tametsi dubitare non poterant ægerime, hoc auditurum Herodem; qui jam rex inauguratus, etsi non legitimus, nec de semine Judæorum foret; adduntque se venisse, ut eum adorarent. Igitur non magnam solum fidem habebant, sed eandem etiam coram tyranno intrepide confessi sunt. Scimus ex III. Reg. I. quam ægre acceperit Salomon vel mentionem fieri Abisag, quam petebat mater ejus dari conjugem Adoniæ. Illico enim insidias regno suo strui putabat; unde matri dure respondit, et Adoniam morti destinavit. Quanto magis debuit displicere Herodi, mentionem fieri novi regis? Periculum ergo capitis magi adibant. Sed nimirum fortes et imperterriti erant, præfigurati, ut scribit Sophronius episcopus Hierosolymitanus, in ser. de nativitate, in tribus illis fortibus viris, II. Reg. XXIII. qui sitiienti David, perruptis Philistinorum castris, aquam attulerunt e cisterna Bethlehæm. Sic enim hi tres magi sitiienti mundi cognitionem veri Dei, perrupto ac contempto Herodis furore, attulerunt, adeoque ipsum Christum, cœlestem ac vivam aquam e cisterna uteri virginalis prognatam ad portam Bethlehæmicam. Nondum noverant illi Christum ejusque glo-

riam, et tamen regem Judæorum coram rege Judæorum appellant, et adorare volunt: nondum adultum, sed primum natum. Nos ejus gloriam novimus, regnantem in cælo scimus, et adhuc publicis pietatis actibus venerari sæpe non audeamus; et non erubescimus? Christe bone, qui fiet tibi, si nunc in cruce penderes? Quis nobilium vel divitum te inde deponeret, sicut fecit Joseph ab Arimathæa, nobilis et dives decurio, seu senator, et princeps Judæorum Nicodemus? Quis scalam afferret? Quis applicaret cruci? Quis ascenderet? Quis te reficeret in tanto illo crucis opprobrio, tanto Judæorum odio ac furore? Paucos nunc magos paucos Josephos et Nicodemos reperimus e divitum et potentum numero.

III. Veniunt cum dromedariis, quod idem Isaias, *ibid.* prædixit: *Dromedarii Madian et Ephra venient tibi*, nimirum maxima cum industria et celeritate. Non enim sat habent agnovisse Christum natum, in eum credere, eum domi colere: sed volunt eum querere, adorare, videre, muneribus afficere. Non absterrentur viæ longitudine, hiemis inclementia, sumptuum magnitudine, natione peregrina. Veniunt celerrime; et intra dies tredecim faciunt 180. miliaria, si ex Arabia venerunt; vel 40. diætas, quas possunt dromedarii, teste S. Hieronymo, conficere. Ergo qui vere in Christum credunt etiam operibus id ostendere debent: Christum querere in sacramentis et redivina, adorare, colere, contemnere etiam et postponere difficultates, quæ ab eo obsequio nos impedire solent. Romani censores videntes aliquem in urbe otiosum, primo interrogabant, quam artem calleret: deinde, an ea uteretur, inspiciebant manus, an callosæ et artificio illi assuetæ essent: sin minus, velut vagum et otiosum relegabant. Simili indicio Christiani dignosci possunt, an veritales sint: si nimirum veniant ad rem divinam, crebro confiteantur et communicent; an veniant in dromedariis, an potius gressibus bovum et testitudinum. Magna certe ignominia affecerunt Christum milites illi, qui dum eum salutarent regem, palmis cæciderunt, cava arundine in manum imposita, impie deriserunt. At quid aliud faciunt, qui ore eum confitentur, factis offendunt? Nonne inanes ac ludicros Christianos se ei præsentant, et pro gloria confusionem afferunt?

IV. Veniunt cum camelis, teste Isaia, ubi supra: *Inundatio (hoc est multitudo) camelorum operiet te*. Jam vero scimus camelos cum onerantur, genua flectere: designant ergo magos illos procedentes ante Christum. Mira et magna humilitas! Nondum loquitur hic parvulus, nondum mira patrat, nondum surrexit de mortuis, non-

dum cælos ascendit, et a regibus adoratur! Unde Sanctus Bernardus, serm. II. de epiph. eorum fidem præfert fidei centurionis et latronis ad crucem conversorum: quia illi videre poterant Christi miracula; his nihil nisi paupertas et infirmitas apparuit. Sane Judæi sub Vespasiano, tam pueri quam adulti, necari maluerunt, quam eum dominum appellare (quod id nomen soli Deo deberetur) id quod Alexandria Lupus præses ab eis exigebat, teste Sabellico, lib. III. c. VII. Ipsi Alexandri Magni milites appellationem Dei in ipso riserunt, et domestici ejus verbera potius pati, quam deum ipsum appellare maluerunt, eod. auct.

Cur ergo regulum isti parvulum tam demisse venerantur? Nimirum flumina respectu maris nihil sunt, etsi respectu rivulorum magna sint: itaque reges isti compararunt se non cum hominibus se minoribus, sed cum Deo, quem adorant. Atque idcirco forte tacentur eorum nomina et regia dignitas in Scriptura: quia sicut flumina extra mare habent sua nomina, uti Rhenus, Rhodanus, Tiberis, Danubius; at ubi in mare se exonerant, perdunt sua nomina: ita reges isti extra domum Bethlehæmicam magni audiebant; at ubi in domum Dei intrant, perdunt nomen et dignitatem suam. Unde bene Isa. II. dicuntur gentes velut flumina ad Christum confluræ: *Fluent ad eum omnes gentes*; capite vero LX. sæpe citato dicitur: *Inundatio camelorum veniet tibi*, quasi diceret: Sicut flumen inundans venient cameli, hoc est, magnates genua coram te flexuri. Et ita quidem primi illi ex gentibus Christiani, curvi ad Christum veniunt, ut prædixit Isaias, c. LX. Nunc veniunt aliqui non cum camelis, sed cum elephantibus, qui nesciunt nisi, magna difficultate et multis hortatibus in genua se curvare.

V. Veniunt cum muneribus; quod asserit Matthæus et prævidit Isaias, loco citato: *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes*. Dederunt ergo Christo munera regalia, apertis thesauris suis, adeoque optima quæque, non deteriora. Porro optima Deo afferemus, si pro thure intellectum, pro myrrha memoriam, pro auro voluntatem nostram. Intellectum, ut eum captivemus et inclinemus ad credendum omnia divinitus revelata; memoriam ad ruminanda ejus beneficia, vitam, passionem, conciones: voluntatem ad ipsum toto corde amandum et imitandum, sine quo amore cætera parum aut nihil sunt. Non imitemur somniatorem illum, apud Cicer. l. II. de divinatio. qui somnii sui interpreti, dicenti ovum ab eo visum esse aurum et argentum domi reconditum; ubi thesaurum reperit, de-